



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. DIONYSII || CARTHVSIANI, DE || DOCTRINA ET REGV-||lis
vitae Christianæ**

Dionysius <der Kartäuser>

Coloniae, 1577

VD16 D 1959

De honesta conuersatione clericorum 35.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60177)

448 D. DIONYS. CARTH.

solitaria, vita felix & sancta, vita divina & libera, vita pura atque angelica, tu splendor animæ, amica sapientiæ, ornamentum ecclesiæ, plenitudo gratiæ, consummatio perfectionis, custos quietis & pacis. Te lex attollit, propheta miratur, vniuersique insuper qui veræ perfectionis cacumen sortiti sunt, tua præconia norunt. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero te in principio letitiæ meæ. Tu requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Hanc igitur te vitam charè mi frater opto lætanter arripere, fructuose tenere, feliciterque finire.

Psal. 137.

131.

De honesta conuersatione clericorum.
Articulus. XXXV.

Ephē. 4.



Bsecro vos in Domino, vt digne ambuletis vocatione qua vocati estis. Quoniam nec dum charissime decreuiti charismata meliora æmulando statum perfectionis arripere, toti que mundo & propriæ voluntati perfecte abrenūciare; vt interim viuas vt oportet

DE ARCTA VIA SAL. 449

tet decetque canonicum, quid ad hoc
requiratur, tibi breuiter pandam. Ita-
que in principio tertij Decretalium
inter cætera de clericis seu canonicis
scriptum est (Nempe quod ibi de cle-
ricis legitur, certum est ad canonicos
pæcipue pertinere) Clerici arma por-
tantes & vsuram, excommunicentur.

Si quis ex clericis comam relaxauerit,
anathema sit. Monasteria monia-
lium si quisquam clericus sine mani-
festa & rationabili causa frequentare
pæsumpserit, per episcopum arcea-
tur. Et si non destiterit, ab officio ec-
clesiastico reddatur immunis. Bona
clericorum veniant in commune, in
vna domo vescantur, atque sub vno
tecto dormiant ac quiescant. Ludos
& ludibria in ecclesia nequaquam ex-
erceant. Vt clericorum actus & mores
in melius refoventur, continenter &
caste viuere studeant vniuersi, præser-
tim in sacris ordinibus constituti, ab
omni libidinis vitio præcauentes, qua-
tenus in conspectu omnipotentis Dei
puro corde, & casto corpore valeant
ministrare. Ne vero facilitas veniæ
incentiuum tribuat delinquendi, sta-
tuimus, vt qui deprehensi fuerint in-
continentiæ

*De vita &
ho. cle. c. si
quis.*

*De vita &
ho. c. clerici.
& c. monast.*

continentię vitio laborare, prout magis aut minus peccauerint, puniantur secundum canonicas sanctiones, quas efficacius & districtius præcipimus obseruari, vt quos diuinus timor à malo non reuocat, temporalis saltem pœna coerceat à peccato, videlicet, vt ab officio suspendantur, & ecclesiasticis beneficijs spolientur. A crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abstineant. Vnde vinum sibi temperent, nec ad bibendum quispiam incitetur, quum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis prouocet incentiuum. Vnde illum abulum penitus decreuimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi à superiori commonitus satisfecerit, ab officio & beneficio suspendatur. Clerici officia vel commercia secularia non exerceant, maxime inhonestas. Mimis, ioculatoribus, & histrionibus non intendant. Tabernaculis prorsus euitent, nisi fortè causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint.

*De vita &
ho. cle. c.
a crapu.*

*De vita &
ho. cle. c.
clerici officia.*

DE ARCTA VIA SALV. 451

terfint. Coronam & tonsuram habeant conuenientem, & se in officijs ecclesiasticis & alijs bonis studijs exercent diligēter. Clausa deferāt de super vestimenta, nimia breuitate vel longitudine non notanda. Pannis rubeis, aut viridibus, manicis, sotularibus, cōsutitijs sieniis, sellis pectoralibus de auratis, aut aliam superfluitatem gerentibus non vtantur. Fibulas aut corrigias argento seu auro ornatas non ferant. Nec annulos: nisi, quibus competit ex officio dignitatis. Inhibendum est vt nullus sacerdos foeminas de quibus suspicio esse potest, retineat. Si presbyter, diaconus aut subdiaconus de quacunque foemina, crimine fornicationis suspectus, post primā, secundam, tertiam admonitionem inueniatur fabulari, aut aliquo modo conuersari cum ea, excommunicationi subdatur. Cum clericis non permittantur muliereculæ habitare: nisi forte de illis personis existant, in quibus naturale ius nil permittat criminis suspicari. Ecce mi frater ex his elicere uales, qualis aliquando fuit, & nūc quoque esset conuersatio canonicorum, quā honesta, religiosa atq; deuota.

Proh.

*De cohab.
de. & ma.
i. & c. si quis.*

Proh dolor status ille vehementer nimis prolapsus est. Forsitan dices, ea quæ dicta sunt ad ius positivum pertinere, & per consequens dispensationi præsertim summi pontificis subiacere, nec te obligari ad ea. Fateor utique quod dum rationalis causa est, dispensationem admittunt, & quævis forte, quantum ad aliqua, iam per dispensationem amota sint (utputa quo ad cohabitationem conuersionem, & honorum communitatem) non tamen quo ad alia multa: videlicet quo ad continentiam, sobrietatem, mundanarum vanitatum ac superfluitatum euitationem, in spiritualibus exercitijs diligentem occupationem, atque in ecclesiasticis officijs debitam exercitationem. Postremo ut certius tibi pateat, quanta exigantur ad hoc quod aliquis per dispensationem excusetur coram Deo ab obligatione, & ab impletione legis, iuris, præcepti, statuti, seu regulæ suo statui convenientis: aliquid tibi de dispensatione conscribam. Et quidem in primis certissimum est, quod dispensandi potestas consistit in summo pontifice, cæterisque prælatis, non sicut in Domi-
 no.

i. q. e. necessaria.

DE ARCTA VIA SALV. 453

no, aut principali principe, sed tanquā
in ministris & instrumentalibus cau-
sis. Minister autem & instrumentalis
causa agere debet, atque moveri secun-
dum directionem atque voluntatem
domini & principalis artificis. Itaque
ut dispensatio valeat, & à culpa coram
Deo excuset, oportet ut secundum
Dei omnipotentis, summi legistato-
ris voluntatem consensumque fiat,
puta ex rationabili causa, absq; iuris
iniuria, & veritatis iactura. Idcirco in
secunda secundæ quæst. lxxxviiij. Tho-
mas differuit, quod prælatus pro suo
non potest libitu dispensare, nec in
manifestis malis eius dispensatiō à
culpa excusat. Itaque dispensando nō
debet potestate sibi collata abuti: sed
ea fideliter uti ad aliorum profectū,
secundum finalem intentionem sum-
mi legislatoris, à quo est omnis pote-
stas. Ideo namque dicit Apostol. Sic
nos existimet homo ut ministros Chri-
sti, & dispēsatores ministeriorū Dei. *1. Cor. 4.*
Hic iam quæritur inter dispensatores,
ut fidelis quis inueniatur. Et denuo: *2. Cor. 12.*
Secundum potestatem, inquit, quæ da-
ta est mihi in ædificationem, & non
in destructionem. Denique secundum
Hostiensem,

*Dispensatio
qualiter fieri
debeat &*

*quando
valeat.*

i. q. 7. c. ta.

de presb. &

dig. c. expo.

suis & in

glo.

Thomas.

i. q. v. c. ne.

1. Cor. 4.

2. Cor. 12.

*Hostien.**Durand.**i. q. 7. c. tali
Guil. Parisi.**Dispensatio
quid sit.*

Hostiensem, dispensatio est misericors relaxatio rigoris iuris per eū, ad quē pertinet, canonicē facta. Et, ut ait Durāndus super Sententias, Dispensatio importat amotionem obligationis iuris in casu, quantum ad aliquem vel aliquos, certumque est q̄ hoc fieri nequeat sine ratione idonea & rationabili causa. Quæ secundum Doctores ponitur duplex. Puta vrgens necessitas, & vera euidensque utilitas. Propterea dicit Guilhelmus Parisiensis. A multis prudētibus dicitur, quōd dispensatio est ius & non iuris diminutio aut derogatio, seu ei⁹ in aliquo læsio. Causa siquidem propter quam dispensatio fit, facit proculdubio vt iustum sit quod indulgetur. Alioquin non dispensatio, sed iuris dissipatio esset. Et ex hoc alij trahunt, quod dispensatio aliud non est, quam latentis seu virtualis intentionis ipsius legislatoris expressio, ita q̄ si legislator ad esset, ipse, stāte tali necessitate aut utilitate sic iudicaret agendum, imō sic ageret. Vnde secundum hoc per dispensationem mutatur materiale in lege, non legis formale, videlicet intentio legislatoris, quæ est principale in lege.

Pizfati

Præfati ergo est diligēter cōsiderare, causam dispensationis, secundū rectæ rationis & verę prudētiae discussiōnē.

Alioquin nec ipse esset à culpa immūnis nec alius. Vnde Sanctus Bernardus scribit Roberto monacho, qui de licentia Papæ transtulit se de ordine rigidiorē Cisterciensium, ad ordinem Clunacensium leuiorem: Non tibi frustra quis blādiatur de dispensatione apostolica, cuius conscientiam tenet ligatā diuina sententia. Hinc ergo secundū doctores in lege aliqua potest & debet fieri dispensatio propter cōpellentem necessitatem, aut verā manifestamq; utilitatem, quam verissimiliter acceptasset, & approbasset legislator, si sibi occurrisset. Alioquin dispensator potestate sibi cōcessa utitur, imo abutitur in destructionem, non in ædificationem. Is quoque qui dispensationem requirit sine necessitate aut utilitate præfata, vel per falsi suggestionem, aut veri suppressionem, fallit seipsum nec excusatur à culpa.

Hinc libro de consideratione scribit Bernard. ad Papam Eugenium, Non sum tam rudis, vt ignorem vos positos dispensatores, sed in ædificationē,
non

Bernard.

*i. q. 7. c. tal.
& c. necessa*

*De rescri. c.
super literis.
Bernard.*

non in destructionem. Vbi virget necessitas, excusabilis est dispensatio. Vbi utilitas prouocat laudabilis est. Utilitas dico communis, nō propria. Nam vbi nihil est horum, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. His consonant summorum pontificum scripta Gelasij & Leonis.

Gela. pa.

Ait quippe Gelasius papa, Vbi necessitas non est, in conuertibilia maneant sanctorum patrum decreta. Et sanctus

Leo papa.

Leo papa. Vbi necessitas non est, nullo modo violentur sanctorum patrum instituta. Ecce ex his potes pensare frater amande, quando & qualiter dispensatio à culpa excuset, quam rationabiliter sit petenda, quam circumspecte atque prudenter exhibenda. Per quid etenim status ecclesiae eatenus corrumpitur & defecit sicut per consuetudinariam incircumscriptam ac leuem dispensationem? Ideo quantum tibi possibile est, esto iusti verique tenax. Et quae nunc scripsi ad canonicos pertinere, quamdiu in hoc statu es, quantum bono praeuales modo diligenter obserues, vt per hoc gratiam merearis ampliolem à Domino, per quam meliora æmulando charismata statuta per-

DI
perfe
pias, a
creato
talis,
mis &
De va
pr



decim
que in
esse:
mors
tabili
vita d
ad mo
est,
post a
& cra
quam
Quon
de vi
die fi
vt on

DE ARCTA VIA SALV. 457

perfectiois viriliter feliciterque arripias, ad honorem, laudem, & gloriam creatoris adorandi, excelsi, ac immortalis, qui est super omnia Deus sublimis & benedictus, Amen.

De vanitate mundi, breuitateq; vite presentis, ex verbis beatissimi Augustini.

Articulus XXXVI.

Dies nostri sunt quasi vmbra super terram, & nulla est *1. Paral. 29.*
ra. Quemadmodum decimo *Augustinus.*
tertio de Ciuitate Dei capi. decimo asserit Augustin. ex quo quisque in hoc corpore morituro cœperit esse: hoc incessanter in eo agitur, vt mors veniat. Hoc enim agit eius mutabilitas toto tempore vitæ huius, si tñ vita dicenda est, vbi ad hoc viuitur, vt ad mortē perueniatur, Nemo quippe est, qui non morte propinquior sit post annum, quam ante annum fuit, & cras quàm hodie, atque hoc die quam heri, & paulo post quàm nunc. Quoniam quicquid temporis viuitur, de viuendi spatio demitur: & quotidie fit minus minusque quod restat: vt omnino nil aliud sit tempus vitæ
v huius